

bis, vel fructibus, alijsq; cōsimilibus, vt & metallis, partibusq; animalium, medico scopo profutura inessent, quinque librorum syntagmate studiosè cōsignauisse. Quid igitur? num tanti viri exemplo præeūte nobis, de Stibio, intra mediocritatis limites reuocando, finistri quippiam suspicabimur? Dicet quispiā, illius vix semel meminisse Dioscoridē: nec artis vnquam futura ea, quæ semel duntaxat atq; iterum contingunt. Frequentanda experimētis remedia, tūmque in præceptorum cōmunitatem recipienda. Sed respondemus, ne semel quidem experimenta per mortes agenda esse. Sin ea cōmodum & vtilitatem, ipsamque adeò vitam testentur, iterari posse, & in præcepti formā redigi. Quod cū Dioscoridi euenerit, ne inuramus enorme vitium temeritatis præclaro viro, vt vix ac ne vix quidem, certo euentu dignouisse putetur, id, qd' inter generales suæ phytologiæ canones reducit. Quin potiùs modestè confidamus, proprio vel saltem alieno vsu obseruata Stibij natura, illius dignam mentionem iniecisse: haudquaquam aliàs fa-

B 5 Eturum,